DE

UTERI AC VAGINAE SIC DICTIS DUPLICITATIBUS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS ANATOMICO-PATHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE VIII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXLI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

FRIDERICUS SCHROEDER
PARTHENOPOLITANUS.

OPPONENTIBUS:

A. LANGHEINRICH, MED. ET CHIR. DR. AC MED. PRACT.
C. CREDÉ, MED. ET CHIR. CAND.
TH. SCHLEMM, MED. ET CHIR. CAND.

ACCEDIT TABULA.

BEROLINI, FORMIS NIETACKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO

J. L. TRUESTEDT,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI P. E. IN UNIVERSITATE LITERARUM FRIDERICA GUILELMA, BORUSSORUM REGI A CONSILIIS MEDICIS SUPREMIS INTIMIS, COLLEGII SUPREMI AD REGENDAS RES SACRAS, MEDICAS ET INSTITUTIONEM PUBLICAM, NEC NON COLLEGII EXAMINUM HABENDORUM SUPREMI SOCIO, INSTITUTI POLICLINICI DIRECTORI, ORDINUM REGIORUM DE AQUILA RUBRA CUM LEMNISCO IN CLASSE TERTIA ET CRUCE FERREA EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI ETC. ETC.

NEC NON

VIRO

ILLUSTRISSIMO, CELEBERRIMO, EXPERIENTISSIMO

F. SCHLEMM,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, IN UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA PROFESSORI P. O., ORDINIS REGII AQUILAE RUBRAE IN CLASSE QUARTA EQUITI, SOCIETATIS AD PROMOVENDAM ARTEM MEDICAM IN BORUSSIA CONSTITUTAE, SOCIETATUM NATURAE SCRUTATORUM BEROLINENSIS ET MOSQUENSIS, MEDICO-PHYSICAE ERLANGENSIS SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORIBUS AC FAUTORIBUS BENEVOLENTISSIMIS,

AD CINERES USQUE PIO GRATOQUE ANIMO COLENDIS

HAS

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quum et antiquo et venerando more cautum sit, ut qui adspiret ad summos in medicina et chirurgia honores, antea quam eis dignus censeatur, opusculum quoddam de rebus medicis condat edatque: non modo casum in theatro anatomico observatum paucis pagellis describere opeque tabularum aenearum illustrare, sed etiam omnes observationes haud dissimiles conferre mihi propositum est.

Casum autem, quem sum expositurus atque effigie adumbraturus, animadvertit jam a. MDCCCXXXVIII Cl. Henle, t. t. prosector theatri anatomici, in corpore puellae annos septendecim natae, mihique Ill. Schlemm, cujus tum eram famulus, liberaliter impertivit. Idem me illud praeparatum delineantem consilio suo adjuvit praeclare, et comiter mihi concessit, t. t. ab ipso inventas sic dictas Cowperi vel Bartholini glandulas in hoc praeparato pathologico praeparare, ut eas et describerem et depingendas curarem. Has quidem, quod mihi dolendum, Ill. Tiedemann, qui eas eodem illo tempore reperisse videtur, jam libello suo (die Duverney'schen, Bartholin'schen oder Cowper'schen Drüsen und die schiefe Gestaltung und Lage der Gebärmutter) divulgavit.

Quamobrem paucissimis verbis ea tantum, quae maxime necessaria videantur, de glandulis exponam, quoniam Tiedemann scriptione sua eximia mihi jus primo nati praeripuit.

Sicuti autem Ill. Schlemm per duos annos me tam insigni humanitate quam benevolentia plane singulari prosequutus est, item Ill. Truestedt, apud quem jam sex menses munere assistentis instituti clinici fungor, egregiae et comitatis et liberalitatis mihi documenta innumera dedit. Quare non possum equidem, quin utrique Viro Praenobilissimo hoc loco gratias quas possum maximas agam, animumque meum gratissimum palam testificer.

Ingratus autem dici haberique deberem, si ejus jam hic nullam facerem mentionem peculiarem, cujus summam aeque humanitatem atque benevolentiam semper admiratus animo colui intimo. Dico vero Ill. Busch, qui mihi assistentis munus per menses tres in instituto artis obstetriciae gerenti nulla ratione non favebat. Ceterum non possum Cl. Henle gratias debitas non agere, neque ab lectoribus petere, ut hasce primitias juvenilis ingenii qualiscunque aequi faciant bonique.

1. DE HUMANI UTERI CONCAVITATE.

Opiniones ac sententias, quas Hippocrates atque Aristoteles, aliique Galeno longe antiquiores et ipse Galenus ac plerique Arabes de humani uteri cavitate habuerint, non ineptum nobis videtur ante expromere, quam nostram describere observationem aggrediamur.

Alii igitur sinus geminos, dextrum alterum, alterum sinistrum, exsistere autumabant; alii, neque ii numero pauci, septem cellulis uterum dividi perperam opinabantur: tres quidem in uteri sede dextra, maribus dicatas, tres autem in sinistra, foeminis, septimam vero in his mediis, hermaphroditis consecratam, inveniri. Quod placitum perquam absurdum Galenus in libro de anatomia vivorum recte reprehendit.

Reliqui veteres omnes cavitatem uteri humani docebant per semitam, vel sulcum, vel specie cujuspiam septi quasi imaginarii in duos sinus, seu cellulas, seu cameras distribui; initium autem unum, commune ostium, vaginam unicam esse. Cui opinioni conveniunt, quae ait et Hippocrates (aphorism. 48. Lib. 5) »foetus mares dextra uteri parte, foeminas autem sinistra magis gestari«, et Aristoteles (histor. animal. Lib. 3. cap. I.) »Omnes uteri seu vulvae habent, qui juxta genitale continentur, sinus geminos, alterum in latere dextro, alterum in latere sinistro. Initium vero unum est et commune ostium.« Galenus autem (de usu partium Lib. 14. cap. 4.) »In homine, inquit, quemadmodum corpus totum dextris ac sinistris est geminum, ita etiam matricis sinus alter quidem in dextris, alter vero in sinistris est locatus.« Cujusmodi sinus uteri muliebris pariter agnorunt Praxagoras et Philotinus, quamobrem hunc bissinuatum adpellarunt, teste Galeno de

uteri dissect. Cap. 3. Item Rhases ad Almansorem Lib. I. cap. ult. duas matrices ventriculis tribuit, ad unum orificium illas pervenientes. Averroës autem duas cameras in orificio uno sese jungentes utero assignat. Ponit denique Haly Tertio Theor. Cap. 33. duas magnas uteri cavitates, dextram sinistramque, quae veniant ad unam utrisque communem profunditatem, matricis collum dictam.

Tametsi multi recentiorum medicorum cavitatem in utero unicam statuerunt, eandem tamen in partem dextram et sinistram vel septo, vel semiseptulo, vel linea mediana, vel sulco, vel sutura dividi arbitrabantur. Sic dicit Carpus in Mundin. fol. 217 et seqq. »In medio concavitatis matricis, in ejus fundo superiori parvam esse partem, de substantia matricis parum infra versus ejus os descendentem, et ad latera fundi matricis concavitatem magis elevatam esse ab utroque latere, quam in medio, unamque concavitatem in dextra, unam etiam in sinistra uteri parte, sed tantum circa extremitatem, seu superiorem partem fundi adparere, totam vero reliquam cavitatem esse vacuam instar vacuitatis vesicae, atque solummodo secundum latus dextrum et sinistrum corporis uteri differrre.«

Perinde Casp. Bauhinus, unicam in utero cavitatem agnoscens atque rarissime septum vel semiseptulum inveniri existimans, linea tamen, vel sutura prominente leviter, uti fiat in scroto et lingua, internam uteri superficiem et anteriorem et posteriorem secundum longitudinem perductam, δικροῦν seu medianam Aristoteli vocatam, dirimi asserit.

Eandem lineam medianam, uteri cavum in partem dextram ac sinistram dividentem, videbant Laurentius (1), Spigelius (2), Paraeus (3). Praeterea Riolanus (4) et Pinaeus (5) et Diemenbroeck (6) li-

(1) Histor. anat. corp. hum. lib. 7. cap. 12. p. 273.
(2) De hum corp. fabr. lib. 8. p. 259.
(3) Ibid. p. 135.
(4) Anthrop. lib. 2. cap. 35. p. 197.
(5) De virginit. not. lib. 2. cap. 2. p. 105.
(6) Anat. lib. 1. cap. 25.

neam imaginariam, vel suturam secundum longitudinem exporrectam, qualis inest in scroto atque lingua, uterum in dextram et sinistram partem distribuere sibi persuaserunt. Itidem Vesalius (1) hanc suturam, leviter et perquam modice extuberantem, totam longitudinem internae sinus fundi superficiei percurrere tradit.

Quamvis autem tot tantique autores suturam, quam diximus, conspexisse se adfirment, et ipse Morgagnius superficiem uteri fundi posteriorem per profundum sulcum secundum longitudinem diremtam se nactum contestetur, nihilominus tamen Hallerus et Columbus (L. 11. p. 144) ac Regnerus de Graaf (op. p. 179. sqq.) in magna uterorum muliebrium dissectorum copia ejusmodi lineam sese perhibent nunquam animadvertisse.

Itaque quod attinet lineam suturamve illam, quam in uteri cavo repertam alii adfirmant, alii negant, hanc in plurimis casibus palmam plicatam s. juga cervicis uteri fuisse veri videtur simillimum esse. Nempe palma plicata, quae quasi oblonga, areta, prominens virga ad anteriorem et posteriorem parietem decurrit, ei plane congruit descriptioni, quam Casp. Bauhinus exhibuit de septo, quod cum scroti raphe contulit. Avicenna quoque ita est loquutus, ut dubitare nemo queat, quin semita fuerit palma plicata. »Et intra matricem, inquit enim, est extremitas rotunda nervosa, in cujus medio est quasi semita.«

Sed quum saepius pariendo tam rugae vaginae, quam arbusculae magis magisque evanescant, facile est intellectu, multos auctores palmam plicatam non potuisse reperire, ideoque suturam, vel semitam, vel lineam medianam in cavo uteri exporrectam exsistere negasse. Illud judicium jam Moriceau fecit his verbis, lineam medianam nonnisi in utero illarum, quae nondum pepererint, posse deprehendi.

---

(1) Fabr. corp. hum. F. I. lib. 5. cap. 15. p. 456.

II. DE MULIEBRIUM PARTIUM GENITALIVM DUPLICITATIBUS, UT DICUNT.

Recentiore demum aetate contigit, ut formationes muliebrium genitalium abnormes, sic dictae duplicitates, quae ab plerisque observatoribus tum nomine bicornis, bifidus, tum semiduplex, duplex etc. sine discrimine nuncupabantur, in systematicum quendam ordinem et tres classes redigerentur.

Jam Levelingio (obs. anat. rarior I. 67) necesse videbatur, res observatas accuratius distingui nomenque eis conveniens dari; idemque nomen duplex, quo omnes illae uterorum formationes crebro insigniebantur, sive hi septo in duo cava ad latus divisi, sive bisulci essent, in modum duorum cornuum dïvaricati, perinde ac posteriores e nominum serie prorsus rejecit, quoniam in hujusmodi formatione utrumque uteri dimidium pro se non modo normali forma uteri simplicis careat, verum etiam cetera organa, velut tuba, ovaria, ligamenta lata, rotunda, vasa et nervi, in quoque latere nunquam bina exstiterint. Nititur itaque harum aberrationum natura non in eo, quod multiplex fiat, sed in eo, quod subsistit vis formativa s. genetrix uteri prima vitae periodo. Quaeque varietas certo progressuum hujus organi typo debetur et prodit tanquam analogon illarum formarum, quae in singulis generibus ac speciebus animalium lactentium ex amphibiorum et avium typo exoriuntur. Ac sane perfecta sejunctio dextri sinistrique vaginae atque vulvae dimidii cum amphibiorum et avium oviductibus, multo magis vero cum utero anfractuoso s. multiplici didelphideorum animalium, uti halmaturi aliorumque hujus ordinis, potest contendi.

Uterus biforis, e duobus ille canalibus membranaceis, quorum orificia in vaginam unam alterum juxta alterum excurrunt, compositus, in animalibus rodentibus reperitur, veluti in lepore, mure. Nonnullis carnivoris, v. c. pardis, cornua sunt perquam longa et aut recte porrecta, uti canibus, felibus; aut curvata, velut erinaceis et talpis. In omnibus denique ruminantibus et plus minus in cetaceis, e. g. in delphino, balaena, aliis, atque in pachydermis exstat uterus bicornis divisus. Collum est simplex, sed

corpus in duo curvata cornua excurrens, quae in valde longas et obliquas tubas transeunt, aut duplex exsistit, ut in ovibus et capris, aut simplex, velut in solidungulis etc. Forma autem, quae ad humanum uterum proxime accedit, uterus simplex triquetra, piriformi vel subrotunda specie, apud vespertiliones et simias invenitur. Nec solum horum uterorum forma externa humanae in cultu inhibitae vulvae congruit, sed etiam substantia ac forma parietum non videtur dissimilis esse (1).

Eadem ratione, ut jam supra diximus, diversae abnormes uteri formationes ad cultus gradus ineuntis vitae embryi revocari queunt. Jam Harvey (2), qui uterum foetus magnitudine magnae fabae cum bicorni utero ovis vel talpae contendit, speciem matricis embryi cognitam habebat. Teste J. F. Meckel (3), cui accuratissimam primae vitae embryi notitiam acceptam referimus, prima rudimenta genitalium muliebrium, ubi speciem accipiunt, canalem constituunt, qui supra fissus, infra simplex et ubique aequa diametro est, et ab libero fine cujusque tubae Fallopianae usque ad externum orificium vaginae decurrit. Procedente tempore simplex pars canalis evadit vagina et uteri collum, pars fissa vero cornua. Secundum Franciscum Mondini canalis, quem modo descripsimus, ex duobus constat dimidiis, i. e. ex duobus canalibus dimidiis, qui sibi concava superficie adversi sunt. Quibus duobus canalibus dimidiis se infra claudentibus vagina oritur atque uteri collum; iisdem autem ab se distantibus et divergentibus duo nascuntur canales, i. e. duo cornua uteri duaeque tubae Fallopianae. Quodsi vitiosa arteriarum formatione, quae cum altero matricis vaginaeque dimidio radices communicant, sanguinis circulatio imminuta aut praepedita est, progressus hujus dimidii massaeque auctio laborat necessario. Hoc modo eos licet casus explicare, in quibus unum aut alterum uteri cornu cum tuba, ovario, ligamento rotundo et lato, aut prorsus desi-

(1) J. F. Meckel pathol. Anat. Vol. I. p. 679.

(2) De generat. p. 304.

(3) Beiträge zur vergleichend. Anat. Vol. I. p. 122. sqq.

deratur, aut modo tanquam caeca continuatio excultum est: quo pertinent illi casus, quibus Cl. **Meyer** nomen utero bipartito indidit. Duo autem illa cornua uterinalia e corporibus tantum constant membranaceis, quorum utrumque in tubam excurrit, suntque cornua hoc longiora ac formant in locis conjunctivis angulum eo acutiorem, quo embryon natu minus exsistit. Procedente cultu, nempe quarto mense vitae embryi, cornua fiunt breviora, ampliora, sibi invicem, quippe prope modum in plano sita, angulo admodum obtuso occurrunt atque cum reliqua uteri parte, collo, angulum faciunt rectum. Quum hoc tempore morbosa formatio arteriarum uteri et radicum in uteri linea mediana anastomosin facientium exsistit, crescit utrumque dimidium pro se, sese alit suis propriis vasis, cum altero uteri dimidio societatem faciens nullam, et speciem suam primigeniam servat. Quo pacto oritur uterus bicornis.

Quodsi eodem modo membrana mucosa utriusque canalis primarii divisa manet, efficitque septum, duabus laminis constans, quarum altera cum membrana mucosa dextri, altera cum ea sinistri dimidii uteri continuum format, uterus evadit bicornis bifidus.

Jam quod spectat ad uterum bilocularem, hujus ortus in quintum sextumve mensem vitae embryi incidit, quo quidem tempore cornua sibi magis magisque adpropinquant, superiore inter cornua sita margine lunata primum in lineam rectam sese mutante, et posthac in convexam abeunte. Uteri dimidia juxta se ad perpendiculum consistunt.

Licet sane mirari, inopiam vel inhibitionem progressus uteri saepenumero cum aliis abhorrentibus formationibus organorum aliorum, partiaria divisione ac sejunctione lineae mediae in facie atque in palato, id quod probabunt observationes subsequentes, junctam esse.

III. OBSERVATIONES.

Secundum gradum cohibitae uteri formationis in classes tres rediguntur.

1) Uterus bipartitus.

Quo nomine Cl. Mayer primus eam deformationem, quae inter uteri progressus inhibitos gradus est infimus, nuncupavit: duo in tubas excurrentia, oblonge rotunda, cava, ad latus posita corpora exhibet uterus cornua secundum reliquam suam formam per plus minus pressam, fibrisque uterinalibus pertextam telam cellulosam indicati corporis uteri. Proprium corpus deest et vagina exsistit rudimentum.

Tiedemann (1) infantem illico post partum mortuum adumbravit, in quo duo orificia uteri, quorum utrumque in uterum longum se induxit, in cujus parte superiore tuba se extulit. Praeterea ren unicus, permagnus, communis, media in columna vertebrali situs erat.

Thamm (2) foetum describit, in quo organa, praecipue quae peritonaeo non includuntur, multifariam, et situs ac forma a formatione normali recedunt, et pluribus quidem vitiis laborant sinistri lateris organa quam dextri. Renes margine inferiore cohaerentes, ferri equini speciem praebent, hilus renalis sinister in exteriore et anteriore renis facie positus est etc. Uteri simplicis loco tumores duo, in tubas excurrentes, alte in abdomine siti apparent, quorum dexter brevior quidem, sed multo crassior quam sinister. Uteri et vaginae dissecti illi continua exhibent cava, singula orificio uterino discreta, rugis ceterum et plicis consuetis instructa. Vaginae autem non in unum ostium externum conveniunt, sed utraque viam suam pergit, dextra enim in dextro latere prope ureteris orificium aperitur, sinistra eodem modo in sinistro. Genitalia externa cujusque lateris pone et infra hasce vaginae aperturas posita sunt.

Jung (3) uterum bipartitum commemorat, quem praeter alias deformationes in infante nonnullis post partum diebus defuncta invenit. Duo

---

(1) Meckels Archiv für die Physiologie. Vol. V. p. 134.

(2) Diss. de genitalium sexus sequioris varietatibus etc. Halae 1798. Obs. I.

(3) Symb. ad doctrinam de vitiis circa abdomen congenitis. Bon. 1825. Journ. für Chirurg. u. Augenheilk. V. v. Gräfe u. v. Walther Vol. 13. Hft. 4.

corpora, in quovis latere unum, interposita quadam intestini coli parte omnino sejuncta, uterum et vaginam referentia, in conspectum venerunt. Dissectio instituta cervicis, orificii et vaginae vestigia protulit. Partem versus superiorem horum corporum justum tubae Fallopianae ostium, inferior autem pars coeca, nullus igitur ad vaginam aditus ab externis genitalium partibus, quae ceterum rudimenta tantum clitoridis et nympharum in utroque corporis latere posita erant. Cervicis uterinae pars magnitudine et crassitie corpus et fundum longe superans. Conjunctio ossium pubis cartilaginosa non invenitur nec vesica urinaria: ureteres in abdominis facie anteriore ostia habent. Neque

Fraenkelii (1) observatio omittenda est. In monstro, quod scriniis musei anatomici inest, invenimus spinam bifidam, herniam umbilicalem, posterioris vesicae urinariae parietis prolapsum, pudendarum partium vestigia tantum labiorum majorum et nympharum late inter se distantia. Duo corpora conoidea in utroque abdominis inferioris latere, interposito intestino recto segregata, quorum dextrum sinistro majus, uterum et vaginam exhibent. Uterque uterus, orificio et portione vaginali instructus, in tubam et ovarium sui lateris hiat; vaginarum utraque peculiari ostio externo gaudet.

Meyer (2) in nunquam nuptae foeminae quinquaginta trium annorum cadavere invenit, hymene non integro, clitoride et adjacentibus forma normali, vesicae urinariae orificium valde dilatatum, ita ut digito indice in vesicam facile progredi potuerit. Vaginae introitus valde brevis et sacco coeco, unum et dimidium pollicem longo, finiebatur.

Huic formationi prohibitae hi se adjungunt casus, in quibus unum alterumve cornu uterinale desideratur, aut ubi ad latus mancum progressus parenchymatosus, in quem interdum tuba cum fine coeco immergitur; aut rudimentum alterius cornu uterini specie cavi in tubam excurrentis corporis adhaeret.

---

(1) Dissert. de organorum generationis deformitate rarissima. Berol. 1825.

(2) Journ. für Chirurg. u. Augenheilk. V. v. Gräfe u. v. Walther. Vol. 13.

Cujus generis exempla ab Ill. **Rokitanski** (1) complura relata sunt. Formatio cum ea convenit, quae in typo uteri bicornis observatur, cujus alterum dimidium uterus unicornis exhibet. Tuba lateris prohibiti semper paene deest, quum nulla uterini cornu vestigia reperiuntur; ovarium autem hujus lateris rarissime desideratur, vel interdum permagnum est.

2) Uterus bicornis.

Sequitur proxime illa deformatio, quae uterus bicornis nuncupatur. Hic corpora uterina duo clavi — aut fusiformia corpora evaserunt, quae suam cervicem versus plus minusve angulo obtuso convergunt atque confluunt. Locus, unde illa dimidia uterinalia congrediuntur, statuit magnitudinem anguli, sub quo eadem discedunt, gradum peculiaris exsistentiae utriusque dimidii et una cum eo modum recessus ab norma. Quo propior hic locus orificio est externo, hoc obtusior est angulus; quo altior ille locus, eo angulus acutior; postremo tam parvus, ut ambo corpora uterinalia prope perpendiculariter juxta se consistant et bicornitas tantummodo in eo cernatur, quod propria cornua paulum divergunt. Quae forma ultima transitum non incommodum facit ad uterum bilocularem. Uteri cavum jam aut simplex est, aut ambo dimidia septum habent commune; septum autem vel usque ad orificium externum tendit dividitque hoc in duo, vel eo usque non pertingit et tum est orificium externum, aut etiam cervix ambobus uteri dimidiis communis; vel denique deest paene aut plane, et tum juxta canalem cervicis plus minus uteri cavum simplex exsistit. Item in his casibus habet vagina: est enim septo, quod ex cavo uteri aut saltem ab orificio externo propagatur, aut omnino aut ex parte divisa, aut vagina est simplex.

Littrius (2) recenset casum vaginae et uteri, septo in duas cavitates divisi, id quod in puella duorum mensium invenit, ita quidem ut vagina a media parte longitudinis suae usque ad uterum septo in dextram et sinistram divideretur, quarum utraque sibi peculiarem matricem, proprium

(1) Oesterr. med. Jahrb. Vol. XVII. St. 1.

(2) Histoire de l'Acad. des scienc. a. 1705. p. 504.

suum orificium, collum et fundum habens, protendebatur. Duae matrices, quae figura, consistentia et dimensionibus perfecte similes erant, non aliter se habebant, atque una sola matrix, a collo usque ad certam ab eodem distantiam septo quodam in duas partes distincta. Sed fundi penitus distincti erant et ab se invicem separati. Quisque uterus non nisi unica instructus erat tuba, unico ovario, ligamento rotundo et lato.

De la Marche (1) uterum duplicem memorat. Uterus dexter sinistro major erat et septo aliquousque in vaginam progrediente dividebantur. Cervices erant brevissimae et locum orificiorum occupabant duae valvulae, quorum quaevis fundo uteri sui lateris respondebat.

Dionis (2) describit casum uteri duplicis, dextri veri et sinistri spurii ipsi dicti. Uterus erat foeminae viginti annorum secundo conjugii mense gravidae factae, et sexto circiter graviditatis mense post gravissimos dolorum cruciatus perpessos mortuae, cujus embryon post diruptum uterum sinistrum in abdominis cavo fuit clausum. Aperto cadaveris abdomine, duo uteri digitos duos a se distantes inveniebantur; dexter, qui molam continebat, erat verus uterus sinistroque minor. Instructus erat in latere dextro fundi unico vasorum spermaticorum fasciculo, una tuba, uno ovario, ligamento lato et rotundo. Desinebat in orificium suum internum, quod in vaginam se exporrigebat. Uterus sinister spurius situs fuit in latere sinistro, et cum vero utero nullam habuit communicationem, nisi per tria quatuorve vasa valde exigua et tenuia, nullumque orificium, quo in vaginam hiaret, detegi poterat.

Lynceus (3) infantem hermaphroditum habitum secuit. Duos intra ventrem uteros reperit, cum annexis ubique testiculis, sed unico tantum testiculo suo utero adhaerente; uterque uterus propria sua cervice in-

(1) Instruction familière aux sages femmes etc. Tom. I. fig. I.
(2) L'anatomie de l'homme. Paris 1715. p. 328.
(3) Ephemerid. nat. curiosorum. Dec. I. ann. V.

structus, quos una tam angusta, ut vix aciculae caput admitteret, vagina amplexa est.

Palfyn (1) in gemellis inguinibus connatis praeter vaginam uterinam communem utrique, singulis propria, duosque uteros ex latere positos invenit.

Vallisnerius (2) duos uteros, quorum alter in intestinum rectum aperiebatur, commemorat.

Acrel (3) in foemina, quae jam saepius pepererat, uterum duplicem, dextrum ac sinistrum observavit; cervix et vagina naturalis illis fuit communis.

D. May (4) describit vaginam per septum in duos canales divisam, et uterum duobus orificiis instructum atque in duo corpora distinctum; in illo loco, quo convergebant, vel potius antequam divergebant, septo orificium alterum ab altero sejungebatur.

Alius uterus bicornis foeminae, quae jam saepius pepererat, in eodem commerc. Litter. Norimberg. a. 1738. Hbd. 21. p. 169. commemoratur; orificium uteri autem simplex fuit.

Thom. Bartholinus (5) mentionem mulieris fecit, quae duplicem vaginam uteri, duplici orificio patentem habuit, quarum una angustior, altera latior fuit. Per latiorem ex marito filiam peperit.

Peyerus (6) in gemellis sexus foeminei coalitis ossibus sacris et partibus obscoenis monstruosis uterum geminum, totidem vaginas, sed vulvam unicam refert.

Sylvius (7) in puella uterum veluti bicornem, quemadmodum in multiparis vidit.

---

(1) Description anatomique des parties de la femme, qui servent à la Génération. Tab. VII. fig. 1. 2.

(2) Opp. T. I. p. 357.

(3) Chirurgîsche Vorfälle etc. übers. v. Murray. Götting. 1777. Vol. 2. p. 96.

(4) Commerc. Litt. med. Norimb. a. 1733. Hb. 25. p. 196.

(5) Cent. III. Ep. 2. nec non Anat. Renov. L. I. c. 30. p. 281.

(6) Miscell. Ephem. nat. curios. ann. V. Dec. II. obs. 68. p. 14.

(7) Riolani Anthrop. Lib. II. p. 197.

Riolanus (1) meminit Bauhinum testari, fratrem suum uterum in puella quadam bipartitum, qualem canes habent, observasse. Subnectit idem **Riolanus** in muliere olim Romae duplicem uterum ab **Julio Obsequente** inventum fuisse.

Morand (2) duplicis matricis mentionem fecit, quarum cuivis tuba, unum ligamentum latum et rotundum, unumque orificium uteri respondebat. Sed vagina ambobus orificiis erat communis.

De Suë (3) infantem monstruosum secuit, qui praeter alia extraordinaria intestinum rectum obtulit, cujus diameter calami scriptorii diametrum haud superavit. In vaginam duobus uteris parvis communem se aperuit. Vaginae vero exitus in vesicam patuit.

Callisen (4) in puella uterum in duos, dextrum et sinistrum vidit septo divisum; vagina quaelibet hymene suo peculiari praedita fuit ac duplici orificio, sinistro et dextro instructa.

Walther (5) uteri foeminae cujusdam marginem superiorem media depressione valde arcuatum narrat; uterus non solum septo divisus sed vere bicornis, ubi tubae Fallopianae extremitas abdominalis per telam cellulosam praeternaturalem cum ovario concreta fuit; vagina simplex.

Homelius (6) in foemina, quae jam pepererat, uterum bicornem reperit, sed orificium tantummodo simplex.

Waller (7) uteri duplicis mentionem fecit. In foemina tertio post partum difficilem die subito defuncta uterum bicornem reperit, cujus cornu sinistrum foetum continuerat; sed etiam cornu dextrum inconsueto excultum, et interna ejus facies substantia membranae deciduae simillima vestita fuit.

---

(1) Anthrop. et append. ad libr. Rosetti de partu caesareo.
(2) Histoire de l'acad. 1743. p. 86.
(3) Histoire etc. a. 1746. p. 43.
(4) Collectan. Societat. med. Havniens. p. 146.
(5) Betrachtungen über die Geburtstheile des weiblichen Geschlechts.
(6) Commerc. Litt. med. Norimb. 1738. Hb. 21. p. 169.
(7) The Lancet 1828. No. 267. et Mayer l. c. p. 528.

Stein (1) hunc casum nobis refert. Exploratione gravidae in clinicum Bonnense receptae animadvertit in vagina partem membranaceam, quae septum formabat nusquam interruptum. In laqueari utriusque loculamenti erat portio vaginalis cum orificio majori, quam uterus virgineus demonstrat; dextrum erat sinistro amplius, quod ex graviditate mulieris antea perpessa et abortu finita deduci potest. Post partum exploratio septum vaginae ruptum, sed parietem, uterum dextrum a sinistro dissepiens, integrum esse docuit.

Gravel (2) uteri bicornis figuram et descriptionem dedit, cujus corpora s. cornua ad angulum magnopere obtusum divaricantur; colla combinantur, (ut in nostro casu et eo, quem Clarissimus Fricke observavit) ita ut totus uterus literae Romanae V quasi formam habeat. Cava cervicum interstinguit paries intergerinus satis crassus. Exterius junctae cernuntur cervices, crassum quasi corpus intermedium inter bina cornua situm, iisque ex utroque latere continuum constituens. Extremitas communis cervicum, latior et crassior quam ordinarie solet esse, repraesentat arculum crassum, pauxillum ovalem, plus minusve transversaliter positum, orificio itidem transversali, sed per septum membranaceum tenue oblique inclinatum, in duas aperturas divisione pertusum, quarum una ad cervicem et inde ad fundum cornu lateris dextri, altera vero ad cervicem et fundum lateris sinistri ducit. Vagina a dicto orificio usque ultra duorum digitorum transversorum distantiam est simplex. Incipit dein septum intermedium transversale, ad duos circiter digitos transversos exteriora versus se extendens, vaginam in hoc statu in partem anteriorem et posteriorem dirimens, quarum utraque rugis multum prominentibus ornata conspicitur. Inde usque ad extremitatem anteriorem vagina iterum simplex est, ubi una vel altera parum conspicua caruncula myrtiformis adhuc ostendi potest.

---

(1) Froriep's Notizen. Vol. 5. p. 330.

(2) Dissertat. de superfoetat.; rec. in Haller. diss. anat. Vol. V. p. 363. sqq.

Leveling (1) uterum bicornem puellae viginti circiter annorum explicavit; utrumque cornu septo intergerino divisum; fundus uteri media parte depressus prolongatus, prope tubas vero acuminatus. Vagina simplex corpus subrotundum induratumque amplexa est.

Idem (2) aniculae nunquam nuptae neque puerperae uterum describit evidentissime bicornem, unica cum vagina et nullo apparente orificio interno.

Boehmer (3) uxoris quinquaginta sex annorum sexus describit. Haec foemina a marito ob angustiam cognosci non potuit, coitusque tentatus adeo molestus fuit, ut propter cruciatus partim illum haud ferre, partim vero maritus absque partium suarum genitalium vulneratione doloreque inde consequente cum foemina consuescere non potuerit. In dissectione reperiebatur pudoris sinus unus, qui per septum membranaceum crassum, durum, callosum et natura fere cartilagineum in duo ostia inaequalia distribuebatur. Idem septum ab sinu illo usque ad mediam superioremque uteri bicornis partem extensum, in vagina spurium et mediastini instar a mutuo duarum quasi peculiarium vaginarum compositum erat.

Vagina duplex, interne rugosa, propria uteri bicornis amplectebatur orificia ovalia. Uterus distinctus septo communi, ut in animalibus, bicornis sive ex duobus cornubus concretus comparebat, utrumque vero cornu peculiare habebat orificium, eratque crassius, densius, spongioso-fibrosum, ac membrana tenuissima villosa instructum et in tubam Fallopianam lateris sui prolongatum. Substantia autem cornuum crassa, cum tubis continua circa has rarior atque membranacea exstitit.

Heyermann (4) meminit uteri bicornis, qui anno 1740 in cadavere foemineo repertus est. Hic non modo introrsum pariete intergerino

---

(1) Obs. anat. fasc. I. p. 43.
(2) Ibid. p. 142.
(3) Obs. anat. rar. fasc. V. et VI.
(4) Physiolog. Copenh. u. Leipz. 1755. Bd. IV. cap. 47. p. 424.

divisus erat, sed prorsus in duos disjunctus; sed nonnisi una vagina instructus, in qua utrumque orificium cujusque uteri reperiebatur. In sinistro cornu foetus affuerat, in dextro autem mola inventa. Nihilominus autem cuique utero ovarium unum, ligamentum rotundum, et tuba una exstabat.

J. F. Meckel (1) tres affert casus, in quibus juxta alios defectus, collum, caput, hepar, lien, ventriculus et cor atque pulmones etc. deerant. Collum uteri cum corpore aeque erat amplum, corpusque in duo cornua excurrebat; formam hanc uteri Meckel vocavit canini instar bicornis et comparat cum eo bestiarum πολυτόκων.

Mayer (2) neonatam refert, tricesima fere hebdomade editam, multa organisationis vitia obtulisse, exempli gratia palati fissuram, labium superius sulco quodam diremptum, alia. Uterus in duo cornua exporrectus, horumque aditus communis in simplici uteri orificio locatus erat; sed vagina non ubique prorsus bipartita. Nec dissimilia duo exempla idem auctor exposuit.

Tiedemann (3) memoria prodidit uteri duplicis historiam. Parturiens quaedam primipara duo orificia uterina praebebat, alterum occlusum, alterum apertum, ex quo proles est edita sine difficultate, quamquam mater nono post partum die periit. Facta dissectione duo cornua uterina reperta sunt, commune collum duplici orificio instructum, in quorum sinistro foetus erat versatus. Etiam vaginae duo exstabant cava, quorum utrumque introitum habebat proprium.

Alter casus, quem idem exhibet auctor, hic fere est. Uterus puellae adultae, quod collum et corpus attinebat, erat simplex, sed dividebatur ad latus in duo cornua, ex quorum culmine tubae proficiscebantur. Simplex quod aderat orificium uteri in cavum corporis protrahebatur, cavumque tum angulo obtuso in duos canales cornubus congruos separabatur.

---

(1) Beiträge zur vergleichenden Anatomie. Vol. I. p. 109.

(2) l. c. p. 532.

(3) Meckels Archiv für Physiologie. Vol. V. p. 132.

Nuperrime accessit casus, qui ab Cl. **Fricke** in nosocomio Hamburgensi in puella viva annorum viginti unius hodieque observatur Quem quum Cl. **Fricke** ipse cum viris eruditis communicaturus sit, in brevi eorum relatione acquiescimus, quae mihi Dr. **Schiele**, medicus in nosocomio Hamburgensi, benevole scripsit. Tota vagina per septum divisa in dextram majorem et sinistram minorem. Utraque vagina amplectitur normaliter excultum orificium uterinum. Exploratione per speculum vaginae, et singula in quodque uteri os inducta specilla, instituta uterus ipse per septum in duas inter se nullam societatem habentes concavitates distributus repertus est. Perscrutatione per anum facta inter duo cornua vaginalia sitam excavationem plus quam pollicem sursum persequi licuit.

Mondini (1) reperit in sectione innuptae foeminae annorum sexaginta, quae usque ad annum quinquagesimum menses habuerat, praeter abnormiter magnam clitoridem et nymphas hypertrophicas, hymene integro uteri fundum in duo cornua divisum, quorum utrumque suum cavum habebat et forma erat eadem, quae est utero foetus mense fere quarto. Vagina simplex.

3) Uterus bilocularis.

Hic plerumque ab utero bicorni differt divisione concavitatis uteri per medium parietem intergerinum, externa fissura non apparente. Fundus uteri situs est in aequa altitudine atque loci, in quos tubae inferuntur, has superficie sua convexa superans. Uteri cavum medio pariete intergerino in duas perpendiculares juxta se stantes cameras distributum est. Cornua uteri normaliter divergunt et eo normaliter longa sunt. Fissio concavitatis uteri haud raro externe indicata est. Interior sejunctio per perpendicularem parietem intergerinum in duas cellulas raro extenditur in orificium externum, vel per vaginam deorsum; aut continetur crebro cavo uteri, aut paries intergerinus non est tam magnus, ut cavum dirimat; denique tum, quando formatio ad normalem accedit, nonnisi semita in fundo uteri et ad

---

(1) Schmidt's Jahrbücher. Jahrg. 1840. Vol. 2.

posteriorem parietem tanquam rudimentum septi suppetit. Quod si orificium externum non prorsus delet atque hoc ipsum in duo discedit, hujus inferior margo libera in omnibus casibus est tenuior, exacuta, falcata. Insuper ad posteriorem parietem uterinum altius descendit quam ad anteriorem.

Hartmannus (1) in dissertatione foeminae, hydrope et mola uteri exstinctae, invenit duo corpora uterina, seu duos uteros, minorem alterum cum majore alterius uteri corpore connexum.

Eisenmann (2) incidit in duas vaginas aequa et longitudine et capacitate, alteram dextrum, alteram autem sinistrum latus obtinentem, parietibus lateris interni conflatas, forma justa praeditas. Quaeque habebat unum ex orificiis externis cum suo hymene, et in quamquae hiabat orificium uteri internum ejusdem lateris, ut in vaginam lateris sinistri similiter orificium uteri internum sinistrum se aparuerit. Superior margo externus totius fundi sinuatus in duas partes aequales. Ex fundi incisura atque ex depressione superficiali a medio incisurae per medium faciei anterioris totius uteri, perque medium longitudinis duarum vaginarum descendente apparebat revera uterus bilocularis. Duo corpora uterina pro integris erant habenda, perinde ac vaginae, quod septa uteros vaginasque discernentia eis non erant communia, sed potius singulis sua propria.

Hartmannus (3). In utero erat paries intergerinus, quo satis crasso divisae cellulae duae formantur, altera capacior, quare omnis aqua non poterat eodem foramine exturbari, nisi loculo altero inciso. Quo patet concavitates uteri modo commemoratas penitus fuisse separatas ab pariete intergerino, neque alteram sese apparuisse in alteram.

Riolanus (4). In puella, quae pro hermaphrodito habebatur ante

---

(1) Ephem. N. C. Dec. II. a. V. obs. 68. p. 147.

(2) Tabulae anatomicae quatuor uteri duplicis. Argent. 1752.

(3) Ephem. N. C. II. a. V. obs. 67. p. 143.

(4) Anthropographia Lib. II. p. 197.

sectionem, repertus est duplex uterus et vagina. Partes erant genitales perquam imperfectae; uterus septo ita divisus, ut duplex exstitisset.

Bagardus (1) in foemina deprehendit uterum duplicem, externa specie cordi non dissimilem atque septo formatum; uterque uterus sua ligamenta habebat. Saepius pepererat mulier et editos gemellos eodem mense excepit infans tertius.

Cattus (2) perfecte disjunctum perhibet uterum, cujus circa orificium internum longius propendens corpus superiori uteri parti ligamento quodam firmiter conjunctum erat.

Morgagnius (3) in virgine tredecim annos nata posteriorem uteri superficiem per sulcum quendam profundum bifariam diremtam animadvertit.

Dr. Arnoldi (4) observavit in muliere, quae jam saepius abortum fecerat, nuncque sextum gravida erat, placentam praeviam. In partu metrorrhagia exstitit, quae, quum contractiones uteri orificium externum non assequerentur, sed in plica ex fundo uteri prominente desinerent, sedari non poterat; in muliere defuncta invenit auctor uterum bifidum, qui speciem trianguli inferius obtusi offerebat. Fundus videbatur in linea mediana profundo sulco separatus, cui interne crassa carnis copia respondebat, quae cavum interius in duo dividebat dimidia inaequalia. A quo pariete intergerino proficiscebantur densae, forma spirali massae carnis usque ad uteri orificium. Ad latus sursum tubas versus hic bilocularis uterus tenuissimos, prope cutaneos, permultum extensibiles parietes habebat.

Liepmann (5) puellae cujuspiam octodecim annorum vaginam et uterum effinxit. Cum anteriore et posteriore vaginae pariete cohaeret septum, quod duobus quasi cornubus introitu vaginae se inferens inferiorem marginem ita praebet excavatum, ut arcus, in infima vagina duos illos mea-

---

(1) Hist. de l'acad. des scienc. 1752. p. 111.

(2) In Append. Misc. Ephem. Nat. Cur. Dec. II. a V. obs. 108. p. 68.

(3) Advers. anatom. IV. animad. XXV.

(4) Caspers Wochenschrift 1839. Nor. 51.

(5) Diss. inaugural. de duplicitate uteri et vaginae. Berol. 1830.

tus jungens, efficiatur. Reliqua vagina eodem septo in duo dirimitur cava, quorum dextrum sinistro amplius est. Superior uteri margo media parte minus elevatus, quam in utero normali. Matrix duplex simplicem vix videtur superare, amplius ejus latus sinistrum quam dextrum. Externae formae ratione habita uterus non bipartitus videtur. Tubae a forma justa et directione non recedunt, dextra autem paulo altius utero inserta est, quam sinistra.

Seerig (1) in dissertatione inaugurali mentionem fecit de utero multiparae quadraginta annorum, brevi post partum consumtae, cui orificium erat duplex. Instituta exploratione orificii duplicitas jam sub partu dignota erat. Sectione cadaveris facta repertum est orificium uteri dextrum partu laesum et sinistrum. Nec desunt duplicitatis vestigia in vaginae anteriore ac posteriore pariete.

Plures uterorum vaginarumque sic dictae duplicitatis observationes allegatas invenire licet apud Haller. Comment. in Boerhav. praelect. academ. T. V. Part. II. p. 43. sqq. Schurig. muliebr. Sect. III. Cap. II. §. 31. p. 260. sqq. et Ill. Rokitanski. Oesterr. med. Jahrb. Vol. XVII. St. I.

UTERI BICORNIS AC BIFIDI ET VAGINAE DUPLICIS DESCRIPTIO.

Quod jam spectat ad hunc casum, quo mihi data est occasio de sic dictis duplicitatibus uteri ac vaginae disserendi, ille in obductione innuptae puellae septendecim annos natae in Berolinensi theatro anatomico deprehensus est.

Erat puella robusta, bene venusteque formato corpore, in nosocomio caritatis febri nervosa mortua. Genitalium externorum perscrutatione nihil poterat abnorme animadverti. Inter externa majora pudendi labia

(1) Diss. inaugural. De Hydroencephaloceles specimine eximio. Vratislav. 1825.

crassiora eminent nonnihil longae et semicircularibus rugis instructae nymphae. Extractis parvis labiis ita, ut ostium vaginae externum conspiciatur, videmus semilunarem, tenuem, membranaceum hymenem, qui in introitu est expansus et ex cujus concava margine haud lata semita ad septum in profundo apparens pergit, atque quasi alter hymen pro vagina dextra exsistit. Septo seu septulo autem introitus vaginae in duo dimidia inaequalia discernitur, quorum utrumque peculiaris fiebat aditus ad vaginam sibi convenientem. Dexter introitus minor est sinistro, nec nisi penna anserina in suam vaginam penetrari concedit, quum per aditum sinistrum facili negotio digitus inferri potest. Septum, quod diximus, vaginam pariter in duo dimidia inaequalia dividens, ad uterum usque pergit. Incisiones duae in anteriorem vaginae partem prodebant structuram internam vaginae utriusque. Dextra reperiebatur angustior, brevior, non rugosa, sed laevis; contra sinistra amplior, rugosa, papillaris, lacunis obsita; utraque uteri orificia paulum modo in se tendentia arcte circumdat. Septum ex duabus laminis membranaceis, per telam cellulosam concretis, eodem modo formatum, quo cavum mediastinum pectoris in duas separans concavitates, per aversam unionem duarum pleurarum efficitur.

Uterus, qui aeque pariete intergerino, ab orificio externo ad fundum pertingente, in duo prorsus diremta cava divisus est, formam praebet uteri bicornis. Namque uterinalia corpora claviformia sub angulo acuto cervicem versus decurrunt confluuntque, ut speciem fere literae Romanae V induant. Substantia uteri crassa, densa, spongioso-fibrosa, interior facies membrana tenuissima subrubra, quae in canali utriusque colli palmas, quas dicunt, plicatas dispergit. Ceterum quisque uterus una modo gaudet tuba Fallopiana, ovario unico, ligamento lato rotundoque; quae partes omnes forma justa et directione ab norma non abhorrent.

Praeterea ren tantummodo unus inveniebatur in hypochondrio sinistro, magnitudine naturali, cum uretere uno e pelvi normaliter orto, in vesicae urinariae parietem posteriorem exeunte. Vesicae urinariae, quae modo ex-

gua, multis fibris musculosis circumdata, inest in colli sui posteriore pariete, parva sacciformis diametro 5‴ — 6‴ dilatatio, quae peculiari urethra parva sub normali extrorsum fertur.

DE DUVERNEY VEL BARTHOLINI VEL COWPERI GLANDULIS FOEMINEIS.

Uti plerique anatomici, sic quoque Tiedemann secernentia organa externorum genitalium muliebrium in classes tres distribuit.

I. Folliculi sebacei s. cryptae sebaceae.

Hi sunt parvi, subrotundi, caece desinentes sacculi, qui aut in membrana magnarum nympharum insunt et subflavam adipi similem materiam excernunt (1), aut coronam clitoridis circumdant, et illis folliculis glandis virilis conveniunt, ac subalbum, vehementer odoratum, saepe valde consistentem liquorem apparant (2), aut etiam in tota parvarum nympharum superficie copiosi jacent: in canaliculos desinunt culleiformes atque subalbidum vehementer odorum, adipi non dissimilem liquorem excernunt, qui inter coitum profluit et nymphas humidas mollesque reddit. Repertos primum ab Stancari descripserunt postea Morgagnius (1), Hallerus (2), alii, postremo Wendt (3), Burckhardt (4).

II. Folliculi mucosi s. sinus mucosi.

Hi admodum numerosi mucum excernentes folliculi exeunt in vaginae vestibulum, et aut inveniuntur prope urethram, aut in vaginae introitu ante hymenem. R. de Graaf (5), cujus adumbratio a multis paene ad ver-

---

(1) Piccolomini. Praelectiones anatomicae. Romae 1586. fol. anatome ex edit. Fautoni Veronae 1724. p. 43.

(2) Santorini. Observ. anatom. Lugduni Bat. 1739. Cap. 11.

(3) Adversaria anatom. I. p. 8. Sebaceae nympharum glandulae.

(4) Icones uteri hum. XX. in Icon. anatom. fasc. 2.

(5) Diss. de epidermide humana. Vratislav. 1832. fig. 6.

(6) Bericht über die Verhandlungen der naturf. Gesellschaft in Basel 1833.

(7) De mulierum organis generationi inservientibus. Leidae 1672. Cap. 8.

bum repetita est, piimus illos delineandos curavit. Appellabatur haecce glandularum substantia mulierum prostrata et corpus glandulosum. Ait Morgagnius (1): »In foeminarum quoque urethra saepe subrotunda corpuscula, qualia in urethra virili, saepe mediocria etiam prope vesicam observavi foramina, circulari, elliptica, triangulari figura, setam sursum versus tantummodo admittentia, simillimumque cum virilis urethrae foraminibus liquorem proferentia. Tab. 3. f. Meatus urinarius, circa quem oscula occurrunt earum lacunarum, quae ad glandulosum corpus pertinent, quo urethra ambitur.«

Hallerus (2), in istos folliculos inquirens accuratius, septem octove distinxit majores lacunas mucosas uretericas, inter urethram et clitoridem sitas, rotundas vel lunatas, quae ad parvos, caece desinentes folles ducunt; duae tresve in ipsam urethram contendunt atque inter coitum multum muci effundunt. Prostatam quandam a R. de Graaf nominatam idem Hallerus reprobabat, uti ante jam Vesalius (3). Cum Halleri expositione congruunt Waltheri (4) et Tiedemanni disquisitiones, sicut descriptio atque effigies ab Hubero (5) exhibitae.

III. Glandulae mucosae conglomeratae.

Exstant hae glandulae prope vaginae introitum, duabusque lacunis, lateraliter intra parvas nymphas in vaginae vestibulo institutis, in quas exeunt, conspicuae fiunt. Jam F. Plazzoni (6) de exitu earum commemorat, quippe de duabus lacunis prope pudendi rimam disserens, quae inter concubitum liquorem serosum profundant. Post eum etiam Adr. Spigelius (7) et Rolfinck (8) pariter ac Rhodius (9) et de Graaf (10)

(1) Adversar. anat. I. p. 7.
(2) Icon. uteri humani fasc. II. Götting. 1745. fig. 1.
(3) De fabric. corp. hum. p. 668.
(4) Betrachtungen über die Geburtstheile des weiblichen Geschlechts. Berl. 1776.
(5) De vaginae uteri structura rugosa, nec non de Hymene. Comment. Götting. 1776.
(6) De partibus generationi inservientibus. Patav. 1621. Lib. II. cap. 6.
(7) De Humani corporis fabrica. Venetiis 1627. Francofurti 1633. Cap. 331.
(8) Ordo et Methodus generationi dicatarum partium etc. Jenae 1664. P. 2. Cap. 41. p. 192.
(9) Mantissa anatomica ad Th. Bertholinum. Hafn. 1661. Obs. 83.
(10) De mulierum organis. Tab. III. litt. G. G.

earundem mentionem faciunt, sed modo tanquam caecorum foraminum. J. G. Duverney demum illas in vaccae vagina perscrutatus, has reperit ostia exitus glandulae pannosae ducendas esse, quae, in utraque parte vaginae una, sub musculo constrictore lateat. Casp. Bartholinus (1), quocum ille rem detectam communicavit, hasce glandulas una cum suis exitus viis descripsit easque cum prostata viri comparavit. »Prostatarum loco, inquit, in feminis has glandulas esse crediderim, quae ex plurimis glandulis conglomeratae, fibra carnea investiuntur.« Posthac Bartholinus easdem deprehendit glandulas in corpore foemineo, et in commentatione de ovariis mulierum exposuit.

Ut de aliis ab Ill. Tiedemanno in libro nominato allegatis reticeam, a quibus istae glandulae partim secundum Bartholinum nuncupatae sunt, partim mulierum prostata, licet modo addere, anatomicos Anglicos, eas analogon arbitrantes glandularum a Cowper in viro inventarum, nomen Cowperi illis indidisse, etsi Cowper ipse has in muliere exsistere infitiabatur (2). »It is remarkable we d'ont find these Glands in Females like those in males, tho they have something Analoguos to them, which are described in Women by de Graaf and call'd Prostatae mulierum; but the Orifices of their Excretory Ducts opening at the Exit of the Urethra, they serve to defend the Nymphae and Labia pudendi only from the Urinous Salts, and discharge their Liquor in Coitu.«

Post Hallerum autem, qui has glandulas exstare prorsus negabat, nec nisi prope pudendi sinum duas tresve aperturas cognitas habebat, quas pro ostiis cavorum mucosorum ducebat, anatomici earum aut nullum injiciunt mentionem, aut modo in transcursu et quidem secundum Halleri praecepta. Recentiore demum aetate illas glandulas Guthrie (3) ac Taylor (4)

(1) De diaphragmat. structura nova. Parisiis. Cap. 5. et de ovariis mulierum. in Act. Medic. Hafn. 1680. Obs. 14. p. 33.

(2) Philos.Transact. Vol. 21. Vear. 1699. p. 364. fig. 1. 2.

(3) Lectures on the Diseases of the Bladder and Urethra. Lect. 4.

(4) The Dublin Journal of medical science 1838. T. 13. art. 5. p. 104.

meminerunt, qui idem eas effinxit, ita ut Tiedemann illas ex tenebris denuo in lucem revocans et copiosissime atque accuratissime illustrans, rem paene novam protulerit.

DESCRIPTIO BREVIS

Duverney vel Bartholini vel Cowperi glandularum.

Obtectae ab membrana externa posterioris et inferioris partis magnarum nympharum, a fascia superficiali perinaei musculoque vaginae constrictore, ad utrumque vaginae introitus latus jacent, circumcirca ab multis laxis telis cellulosis inclusae, glandulae nominatae inter musculum ischio-cavernosum a ramo ascendente ossis ischii orientem et in vagina extrema ac super musculo perinaei transverso. Sunt oblonge rotundae, planae, forma fabae 5—10‴ longae, 2—3‴ crassae, $2\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{4}$‴ diametro transversa, auctore Tiedemann; colore subrubrae sunt atque ex exiguis laminis conglomeratae. Ex anteriore earum margine partis superioris prodit cutaneus 7 — 8‴ longus exitus, qui ab musc. constictore vaginae contentus pone labium majus antrorsus et introrsus volvitur, atque in nymphae interna superficie in vestibulum vaginae excurrit. Subrotundum ejus ostium tam amplum, ut facile possit specillum inferri. Super ostio exitus una vel duae foveolae parvae conspicuntur, in quas setam tantummodo 1 — 2‴ inferri licet. Hae sunt lacunae mucosae.

Secretio glandularum Bartholini, quae est consistens, subalba, fila ducens, caesia, inter coitum est copiosa, quamobrem antiquiores rerum naturalium perscrutatores hasce glandulas pro mulierum prostata habebant. Cui bono sit profusus inter concubitum liquor glandularum Bartholini, hodieque non constat; majoris autem momenti esse videntur in nonnullis muliebrium genitalium conditionibus morbosis.

VITA.

Fridericus Guilelmus Schroeder, Parthenopoli natus d. II. m. Octobris. a. MDCCCXVI patre Friderico, matre Guilelma e gente Brauniana, quibus carissimis salvis vehementer gaudeo, evangelicae confessioni addictus sum. Primis literarum elementis imbutus paedagogium Virginis Sanctae, quod in patria sub Ill. Zerrenner floret, annos novem frequentavi.

Functus per annum officio militari, auctumno a. MDCCCXXXVII. ab Ill. Boeckh, t. t. rectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus et ab Ill. de Hagen, t. t ordinis philosophorum decano maxime spectabili, in album facultatis inscriptus sum atque his per annum dimidium scholis interfui:
Ill. Schlemm de osteologia et syndesmologia, Ill. Mitscherlich de chemia anorganica.

Testimonio maturitatis munitus d. V. m. Aprilis a. MDCCCXXXVIII. ab Ill. Wagner, t. t. decano medicorum ordinis maxime spectabili, numero medicorum adscriptus scholas frequentavi hasce:

Ill. Mitscherlich de chemia organica; Ill. Schultz de historia naturali medica; Cel. Benecke de logice; Ill. Steffens de psychologia; Ill. Kunth de botanice; Cel. Dove de physice; Ill. Hecker de encyclopaedia artis medicae, de pathologia et therapia speciali et de historia medicinae; Ill. Müller de anatomia universali cum sensuum organorum anatomia, de anatomia comparata, de physiologia, de generatione, de anatomia pathologica; Ill. Schlemm de splanchnologia et de sensuum organis; Ill. Müller una cum Ill. Schlemm artem cadavera rite secandi me docuerunt. Praeterea praelectionibus interfui Ill. Osann de materia medica; Cel. Henle de pathologia generali et de anatomia generali; Ill. Horn de morbis syphiliticis et psychicis; Ill. Busch de arte obstetricia theoretica; Cel. Romberg de diagnostice morborum cordis et pulmonum physica; Cel. Froriep de anatomia chirurgica; Ill. Kluge de chirurgia et de ossibus luxatis et fractis; Exp. Troschel de arte fascias chirurgicas rite imponendi; Ill. Wagner de politia medica.

Exercitationibus clinicis et chirurgicis et medicis, neque minus ophthalmiatricis, obstetriciis interfui virorum Ill. et Cel. Wolff, Schoenlein, Barez, Trüstedt, Juengken, Busch, Dieffenbach.

Praeterea in operationibus obstetriciis et ophthalmiatricis cum exercitationibus in machina mihi privatissime duces fuerunt Ill. Busch et Exp. Angelstein.

Qu bus omnibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas semperque habebo.

Jam vero tentaminibus tam philosophico, quam medico, et examine rigoroso coram gratiosa facultate medica superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque rite defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Omnium medicarum disciplinarum anatomia est fundamentum.
2. Urina in renibus non secernitur, sed excernitur.
3. Motus sanguinis per vasa capillaria et a motu cordis et ab affinitate, qua nutriendi causa sanguis a telis corporis attrahitur, pendet.
4. Gonorrhoeae et ulceris venerei contagium non idem.
5. Suppressio lochiorum saepius est effectus quam causa febris puerperalis.

EXPLICATIO TABULAE.

Fig. I. Uterum repraesentat integrum et formam uteri bicornis. Uterina corpora claviformia sub angulo acuto cervicem versus in tubam ingrediuntur. Vagina autem duabus incisionibus aperta, ut utrumque ejus cavum conspiciatur. Vesica urinaria dextrorsum semota. Pinguc pulvinar montis veneris inferius proversum, ita ut clitoridis corpora et glandulae Bartholini cernantur.

a. Anterior colli uteri paries.
b. Cornu uteri dextrum et sinistrum.
c. Ovarium dextrum et sinistrum.
d. Morsus diaboli dexter et sinister.
e. Alae vespertilionis.
f. Vagina laevis dextra.
g. Vagina rugosa sinistra.
h. Orificium uteri sinistrum.
i. Orificium uteri dextrum.
k. Septum intermedium.
l. Vesica urinaria.
m. Ureter unicus.
n. Intestinum rectum.
o. Pingue pulvinar montis Veneris ab symphysi ossis pubis solutum.
p. Corpora clitoridis.
q. Musc. ischio-cavernosus.
r. Musc. constrictor vaginae.
s. Musc. transversus-perinaei.
t. Glandula Bartholini.
u. Canalis exitus glandulae Bartholini.

Fig. II. Externa genitalia exhibet; nymphae sunt extractae, ita ut uterque introitus vaginae conspicuus sit.

aa. Labia pudoris majora.
bb. Labia minora s. nymphae.
c. Praeputium clitoridis in nymphas se extendens.
d. Clitoris.
e. Lacunae mucosae, inter clitoridem et urethrae orificia sitae.
ff. Ostia viarum exitus glandularum Bartholini.
g. Hymen.
h. Plica in septum intermedium excurrens.
i. Introitus ad vaginae cavum dextrum.
k. Introitus ad vaginae cavum sinistrum.
l. Urethra.
m. Ostium canalis, quae ad sacciformem vesicae appendicem ducit.